

Planetae altiores, dant regna & principatus. Inferiores autem officia, ut colligere redditus regum, & similia.

Quicumque habuerit Solem, uel partem regis, uel partem fortunae, aut dominum triplicitatis Solis in natiuitate diurna, uel Lunae in nocturna in medio caeli, perueniet ad regnum, dominiū, & altum gradum, & erit dominium illud secundum positionem illius planetae, & illius partis, & secundum fortunas & infortunas eorum, & secundum quod receperint dominum ascendentis, uel eum abhorruerint.

Gradus medij caeli si fuerit Solis exaltatio, uel Iouis, nomen huius nati expandetur per uniuersum orbem.

Multum potens erit, in cuius natiuitate Sol fuerit in decima in signo igneo, & Luna in trino eius sinistro.

Si duo planetae ascenderint ante Solem, aut in nocte occiderint post Lunam, aut post eam ascendant, sintque fortunati, regnum aut dominum nato pollicentur.

In natali Regum, si in ascendente sit signum igneum, & in decima aëreum, quicumque quid suscipient, summa celeritate perficient, & cito se uindicabunt.

Dominus ascendentis in bono loco, & in terminis fortunarum, si dominus eius termini illi iungatur aspectu aliquo, sintque boni esse, dabit nato regnum & probitatem.

Si dominus ascendentis, & Luna in angulo, & uterque iunctus planetis angularibus, uel dominis angulorum fuerit, is qui tali nascetur stellarum positu, erit Rex potens, uel illi similis.

Sol, Luna, & dominus ascendentis, & angulorum domini in angulis, si malis planetis iungantur, & cadentibus, & ipsi mali sint domini domorum cadentium, erunt quidem reges, uel his proximi, sed misere dominium perdent.

Sol cum Mercurio in ascendente, reges aut ualde potentes ostendit. Per noctem uero, patrem indicat fuisse degenerem.

Si Virgo fuerit ascendens, acquirat regnum ex sua industria, uel etiam magisterium sine magno labore. Si tunc Mercurius fuerit coniunctus parti fortunae in ascendente, natus acquirat dignitates similes regno. Quod si Mercurius in decima cum parte regni, & aliam bene dispositus, fortunatus atque fortis fuerit, acquirat regnum absque dubio, uel dignitatem magnam. Si sic pars fortunae esset in decima cum Luna, fieret rex magnus infallibiliter.

Si Almuten ascendentis in ascendente fuerit, honorabitur in patria sua.

Si Pisces in ascendente fuerint, & Iupiter bene dispositus, natus erit causa sui regni, habebitque bonum ex proprio magisterio.

Si utrumque luminare in sua exaltatione, in suo dominio liberum ab infortunis extiterit, erit natus totius mundi rex, & semen eius haereditabit terram, obtinebitque multo tempore.

Ascendens alicuius natiuitatis, si fuerit medium caeli mundi, fueritque signum mobile Arius uel Cancer, & ille gradus, qui fuerit in linea medij caeli fuerit idem gradus, in quo est exaltatio Solis uel Iouis, expandetur nomen eius per uniuersam terram.

In cuiuscumque natiuitate Iupiter receptor fortitudinum omnium planetarum fuerit, & ipse commendauerit eas, & suam Saturno, fueritque receptus ab eo, & uterque orientalis & ascendens in angulo, erit natus magnus & potens in hoc seculo, & boni esse, & surget nomen eius in orbe.

Si pars regis siue regni in altera domorum Martis extiterit, in bono aspectu Martis, & ambo in fortibus locis & altis in aspectu Solis, & Pars fortunae salua ac fortunata, natus erit dux exercituum, foelix in operibus suis, uirtute, & uictoria praestans. Et si praedicta fuerint contraria, erit miles gregarius.

Iupiter